# DE PRINCIPE IUVENTUTIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

LIPSIENSI

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

**L. G. KOCH,**

LIPSIENSIS.

**LIPSIAE.**

TYPIS A. TH. ENGELHARDTI.

MDCCCLXXXIII.

VICTORI GARDTHAUSEN

UNIV. LIPS. P. E.

SACRUM.

‚Filios meos quos iuv[enes mi]hi eripuit fo[rtuna Ga]ium et Lucium Caesares honoris mei caussa senatus populusque Romanus annum quintum et decimum agentis consulis designavit, ut [e]um magistratum inirent post quinquennium. Et ex eo die, quo deducti sunt in forum, ut interessent consiliis publicis, decrevit senatus. Equites autem Romani universi principem iuentutis utr[u]mqu[e eo]rum parm[is e]t hastis argenteis donatum appellaverunt.' [1])

Augustum sic loquentem si quis audiat nec inscius sit eum in proponendis suis rebus gestis quae animo versatus est consilia caute semper celasse, retineri vix poterit quin — id quod ad plurimos locos Monumenti Ancyrani pertinet — etiam hisce modestis verbis rem graviorem indicari credat. De eis quidem honoribus quos primos filiis decretos esse hoc loco narrat non opus erit multis docere, cum id unum efferat filios etiam tunc pueros iam ut summum magistratum inirent esse designatos. Itaque satis habeo relegasse ad ea quae Mommsenus ad Augusti verba in commentario ad Monumentum Ancyranum disseruit p. 35.

Sed alterum illum honorem, cuius ad postremum mentio fit, primo oculorum obtutu vix intelleges nec eius veram notionem bene perspicies ex eis quae hactenus de eo viri doctissimi disputarunt. Quorum laborem ut iterum suscipiam duabus maxime causis compulsum me fateor.

Magnopere enim crevit materies qua ad certam de principe iuventutis sententiam formandam sola possumus uti. Inscriptionum dico copiam quae lapidibus nunc demum effossis aucta est et accu-

---

1) Monum. Ancyran. ed. Mommsen. Berol. 1865, c. 14, lat. 3, 1—6.

ratius editis qui dudum ante innotuerant firmata. Accedit editio nummorum qui ad aetatem imperatorum Romanorum spectant diligentissime a Coheno[1]) curata.

Tum vero errorem mihi sumpsi convellendum, qui aliam commendationem profecto non habet nisi a vetustate. Saeculo enim septimo decimo medio exortus tantas quasi radices egit, ut ad nostram usque aetatem propagatus et ab omnibus fere viris doctis quorum libri huc pertinent servatus sit.

Priusquam ad eum submovendum accedamus, quid de mente ac consilio tituli habeamus opus erit proferre, cum usus tituli ex eius notione primaria tantummodo possit iudicari. Itaque quid veteres de eo iam existimaverint et recentioris aevi homines docti una quasi voce professi sint afferam.

Qui ipsis Augusti diebus Romae fuit Ovidius haec verba ad Gaium maiorem Agrippae filium edidit in art. amat. lib. I v. 194:

‚nunc *iuvenum princeps*, deinde *future senum*.'

Sequuntur Pisani qui in celebri illo decreto[2]) conqueruntur: ‚C. Caesarem Aug. f. ereptum populo Romano iam *designatum* iustissimum ac simillumum parentis sui virtutibus *principem*.'

Etsi in eorum iudicium concedo qui *designati* verbum a Pisanis perperam usurpatum esse castigent, cum illud tantummodo in magistratibus iure adhibeatur, tamen quin titulum principis iuventutis spectaverint Pisani mihi non existit dubitatio.

Sive antiquos illos testes secutus sive suo ipsius ingenio ductus Norisius[3]) hunc in modum scripsit: „titulus tum primum inventus fuit quo *secundus* ab Augusto in orbe Romano *princeps designabatur*" et paulo post: „principis senatus titulum eidem Gaio *ut pote futuro Augusti successori* augurabatur cum iam esset princeps iuvenum".

Ut ab aliis discedamus audiatur deinceps Eckhelius[4]) qui:

---

1) Cohen, description historique des Monnaies frappées sous l'empire romain. Paris 1859.

2) cf. Wilmanns, exempla inscr. lat. in usum Acad. Berol. 1873, Nr. 883.

3) F. H. Norisius, cenotaphia Pisana C. et L. Caesarum dissertationibus illustrata. Venetiis 1681. Diss. II, cap. III, p. 107.

4) J. H. Eckhelius, doctrina nummorum antiquorum. Vindob. 1792—98. Vol. VIII, p. 373.

'haec, inquit, utut erunt, istud certum Augusti iudicio cum titulo principis iuventutis magnum fuisse splendorem et omen coniunctum ut liceat conicere Augustum certo quodam consilio novae huius dignitatis fuisse architectum.'

Quid? cui maximam fidem habeas Mommsenus in comment. ad Monum. Ancyr. p. 36 haec enuntiavit:

„Evidenter in ea appellatione spes continetur principi qui nunc est aliquando succedendi neque ullum extat certius et firmius documentum *hereditarii iuris ab Augusto in rem publicam una cum principatu introducti* quam haec principis iuventutis appellatio in filios successoresque collata iisque solis reservata.“

Hanc tituli vim de qua eius interpretes consensisse vidimus si semper viri docti ob oculos habuissent, quin scopulos nonnullos in quibus naufragium fecerunt evitaturi fuerint dubitare non sinit magna eorum eruditio alias satis probata.

Primum inter eos nomino E. Spanhemium [1]), cum de eo qui per duo saecula ad hunc usque diem in titulo tractando studii aliquid posuere omnes fere pendeant. Vir ille doctissimus in dissertationibus quas ad nummos ab ipso collectos et editos in lucem emisit, ut de titulo nonnulla quae scivit, plura quae probare non potuit doceret perductus est verbis *princ. iuv.* in nummis saepissime inscriptis.

Errorem eius qui ei cum permultis communis erat etsi a Garatonio iam profligatum esse ex Marquardti historiae equitum Rom. p. 75 nota 96 non ignoro, paucis tamen perstringam, quia interdum etiam nunc in libris invenitur.

Spanhemius enim cum principis iuvent. nomen apud Ciceronem et Livium multis locis repperisset comprehendi eo sibi persuasit qui a censoribus primi in ordine equestri legerentur. Cui sententiae quominus assentiamur duae maxime causae obstant.

Cicero enim qui principis iuv. nomen L. Torquato indidit (in orat. pro Sulla c. 12, 34) eodem tempore etiam Atticum principem equitatus (sc. iuventutis) appellat (cf. ad Attic. 2, 1, 7). Sed quomodo uterque primum inter equites locum obtinere potuerit difficile est ad intellegendum.

---

1) Ez. Spanhemi dissertationes de praestantia et usu numismatum antiquorum. Ed. II. Amstelodami 1671. Diss. VII, p. 664.

Omnem controversiam Livius tollit, cuius ex libris, cum non solum de trecentis (II, 12, 15) et sexcentis (IX, 14, 16) principibus iuventutis Romanae narraverit, sed id nomen ad Latinos quoque (VI, 13, 7) et ad Lacedaemonios (XXXIV, 27, 8) transtulerit, latissime patet scriptorem nunquam cogitasse de nomine uni eique primo inter equites tribuendo, sed universos equites equo publico eo complexum esse, quos cum inter omnem iuventutem genere, opibus, auctoritate maxime praestarent honorifico illo nomine prosequi Romani iam antiquissimis temporibus consueverant.

Alteram adde causam cui plurimum tribuo: ab anno u. c. 685 usque ad annum u. c. 726 nullum lustrum conditum est; tamen ex Ciceronis locis modo laudatis illorum annorum complures principes iuv. cognovimus, quos quales accipias non iam dubitabis. —

Auctor est idem Spanhemius opinionis illius quam supra indicavi inveteratae de coniunctione quadam inter principem iuv. et seviros, duces equitum Romanorum; quam a Mommseno quoque susceptam esse haud inscius infra commodius confutaturus sum. — Sic enim quaestionem meam de principe iuvent. instituendam esse duxi, ut quae de titulo quam certissimis potuit testibus usus Mommsenus disseruit, ea singulis partibus praemittam et ab eis proficiscar. —

Sed levitatem quidem ut cognoscas qua capti homines docti in Spanhemii iudicio acquieverint, argumentationem eius inspicias de qua nemo eorum dubitationem ullam movit. — Spanhemius: „delecti, inquit, nempe vulgo nobilissimi adolescentes ordinis equestris, qui principes iuventutis appellarentur. *Eiusdem designationis et ordinis seviri erant*“.

Cuius sententiae fallacissimum argumentum ex locis quibusdam Dionis et Iulii Capitolini duxit, quos perperam eum interpretatum esse infra demonstrabitur (cf. p. 11—12). Hisce fretus et Lampridii verbis (vita Commodi I) deceptus, quorum sensus vitiosa codicum scriptura depravatur, de sevirorum collegii natura ac vi ex ingenio suo, cum ex ipsa antiquitate ei nihil ad manus esset, notitiam hausit.

‚Cum principes iuventutis tres soli (sic codices) exstitisse a Lampridio dicantur, principes autem iuv. non discrepent a seviris equitum Romanorum, sex illos collegas in tres seniores et tres iu-

niores distingui opus erat, ne iuniorum quoddam collegium desideraretur in quod commodus cooptatus esset.' —

Sed discrimen illud iam statui non potest, cum notum sit seviros ad turmas centuriasve tantummodo pertinuisse quibus iuvenes soli ascripti erant; unde collegio seniorum locus non exstat.

Quae quamvis male disputata sint, placuerunt iam H. Norisio.[1]) In dissertationis secundae cap. I et II ad locum supra allatum etiam de principe iuvent. nonnulla exposuit. Quamvis propriam tituli vim ab eo bene declaratam esse supra dixerim, tamen ut commentationem eius reprehendam adducor eo quod homo ille doctissimus consilii titulo expressi oblitus et principes iuvent. ac seviros diversos esse negavit et sevirorum istam distinctionem in seniores iunioresque commenticiam probavit et de anno quo Gaius titulum accepisset Dionis narrationem cum Taciti verbis conciliare frustra conatus est.[2])

De Panvinio[3]) et Eckhardo[4]) qui ubi de principe iuv. verba fecerunt satis habuerunt Spanhemii sententiam repetivisse neque quidquam novi ac certi adiecerunt non est amplius dicendum.

I. H. Eckhelius[5]) autem de titulo illustrando optime meruit; primus enim de coniunctione illa seviratus et principatus iuvent. non cogitavit et nomini principis iuvent. equitibus legionariis antiquitus tributo, quod centuriarum auctoritate minuta nihil speciosi et illustris habuit, ab Augusto novum animum quasi inspiratum esse bene perspexit. Tum ex nummorum certa copia seriem eorum qui titulo ornati fuisse videntur quam maxime supplevit et confirmavit et etiam ab Augustis appellationem principis iuvent. susceptam esse recte contendit; ita ut qui post eum de titulo scripserunt — excepto Madvigio — eos nocuisse potius quam profecisse dicendum sit. —

Marquardtus[6]) enim qui deinceps commemorandus est vim ab

---

1) cf. p. 6.

2) Exponetur de ea re infra p. 18.

3) Panvinius, de ludis Circensibus l. II, 9 in Thesaur. Antiq. Rom. congesto a I. G. Graevio, vol. IX, p. 423. Lugd. Bat. 1698.

4) Eckhardus, de nomine princ. iuv. 1783 (ubi prodierit libellus nescio).

5) cf. not. 3, p. 371—379.

6) in historiae equitum Romanorum lib. III, cap. III, p. 74—76. Berolini 1840.

Augusto titulo vindicatam intellexit quidem et a solis equitibus equo publico eum deferri potuisse dixit; sed nollem repetiisset Spanhemii sententiam eamque ut novis quibusdam argumentis muniret iterum navasset operam.

Madvigius [1]) quae de titulo edidit pauca quidem sunt sed recta. Id enim ei laudi duco quod turmarum decreto opus fuisse dixit ad titulum Caesaribus impertiendum eumque non tam equestrem putandum esse quam ab equitibus nomine totius iuventutis Romanae impositum — quae opinio multum valet ad usum tituli plene intellegendum.

Denique accedamus ad sententiam Mommseni examinandam cuius mentionem hoc demum loco inieci, quia in ea potissimum iudicanda meam de principe iuventutis sententiam quatenus a Mommseni sententia diversa sit exponere me posse videbam.

Viam enim secutus quam Spanhemius praeivit docuit vir doctissimus

1) principes iuventutis a seviris equitum R. non esse diversos,
2) titulum fascibus susceptis esse depositum,
3) ab ipsis principibus titulum accipi numquam potuisse.

Quae num firmari possint tribus paragraphis inquirendum est.

---

§ 1.

## Distinguendum est inter principes iuventutis et seviros equitum.

Mommsen. in commentario (ad Monum. Anc. p. 35):

‚Non crediderim principis iuv. dignitatem totam noviciam esse neque ullo modo applicatam ad antiquam rei publicae formam; immo verum vidit in universum Spanhemius principatum iuv. repetens ex seviratu equitum Romanorum. Nam cum principes iuvent. constet inter omnes fuisse principes equitum Romanorum seviri autem equitum Romanorum non sint nisi ipsorum equitum duces, fieri non potest quin etiam ad seviros illi principes quodammodo

---

1) Verfassung und Verwaltung des röm. Staates. Leipzig 1881. I, S. 173.

pertinuerint et inter eos potissimum eminuerint. Neque eius coniunctionis argumenta deficiunt, recte explicata a Marquardtio (hist. equit. p. 76). Ita Zonaras vel (10, 35) potius Dio loco modo allato iungit principatum iuventutis et seviratum turmae; ita M. Aurelium Caesarem cum Dio 71, 35 scribat tamquam principem equestris ordinis (*πρόκριτον τῆς ἱππάδος*) cum reliquis equitibus pompam duxisse, biographus eius c. 6 eandem sine dubio rem sic effert sevirum eum creatum esse turmis equitum Romanorum. Qua re principes iuventutis aetatis imperatoriae probabiliter repetentur a seviris illis vetustissimis.' —

Proinde inquiramus, num loci quos Mommsenus ut coniunctionem quandam inter principatum iuv. et seviratum equitum Romanorum probaret testes produxit tantum habeant gravitatis quantum tribuere eis velit.

Zonaras 10, 35 haec excerpsit ex Dione: *Αὔγουστος] ἐς τοὺς ἐφήβους τὸν Γάιον ἔταξε καὶ ἐς τὸ βουλευτήριον ἅμα ἐσήγαγε καὶ πρόκριτον ἀπέφηνε τῆς νεότητος ἴλαρχόν τε φυλῆς γενέσθαι ἐπέτρεψεν.* —

De quattuor rebus actis illis quidem eodem die, tamen inter se diversis scriptor rettulit; primum toga virili Gaium esse vestitum, deinde in senatum introductum, tum principem iuv. appellatum denique *ἴλαρχον* aut quem eundem esse volunt sevirum factum. Sed ne quos postremos scriptor memoravit honores artius coniungas neve in unam confundas dignitatem impedit cum copula *καὶ* (*τε*) unicuique totius sententiae parti praeposita nec postremis reservata tum quod scriptor non contentus uno praedicato *ἀπέφηνε πρόκριτον τῆς νεότητος ἴλαρχόν τε φυλῆς* huic honori etiam diligenter adiecit verba *γενέσθαι ἐπέτρεψεν* quae omittere sine dubio debuit scriptor, si de seviro uno eodemque ac principe iuvent. cogitasset. Itaque cum ex Zonarae verbis nihil aliud sequatur nisi Gaio quo die titulum princ. iuv. accepit eodem praeter alios honores seviri munus esse mandatum, iam videamus quid reliquis locis efficiatur.

Dio 71, 35 de M. Aurelio Caesare haec narrat: *πρόκριτος τῆς ἱππάδος ἀποδειχθεὶς ἐσῆλθεν ἐς τὴν ἀγορὰν μετὰ τῶν λοιπῶν καίπερ καῖσαρ ὤν.* et eius vitam qui scripsit Iulius Capitolinus c. 6, 3: — his ita gestis adhuc quaestorem et consulem secum designavit et Caesaris appellatione donavit et sevirum turmis equitum Roma-

norum iam consulem designatum creavit et edenti cum collegis ludos sevirales adsedit. e. q. s.

Utriusque scriptoris verba ad eandem rem sane spectant; sed Dionis locus de M. Aurelio tamquam principe iuventutis intellegi non potest. Tenendum enim est principem iuvent., ubi mentionem eius Dio iniecit, semper ab eo dici πρόκριτον τῆς νεότητος (cf. Dio 59, 8, 1; 78, 17, 1; Zon.-Dio 10, 35).

Praeterea M. Aurelius cum reliquis in forum prodisse dicitur. Qui sunt isti reliqui? — Mommsenus ex ἱππάδος verbo nomen supplet, cui etsi ratio grammatica non obstat, cum ἱππὰς collective pro ἱππεῖς positum sit, tamen facilius ex verbo πρόκριτος nomen adduces sententiarum nexui aptius ita ut construendum sit μετὰ τῶν λοιπῶν προκρίτων τῆς ἱππάδος ἐσῆλθε. Sed cum certum sit — id quod infra aperte demonstrabitur — tantummodo certis quibusdam temporibus plures fuisse principes iuventutis nec M. Aurelium titulo principis iuventutis insignitum esse scriptores aut nummi aut inscriptiones tradiderint adeoque ad principes iuv. verba τῶν λοιπῶν referri non possint, quin de seviris Dio hoc loco cogitaverit non dubitaverim praesertim cum etiam Iulius Capitolinus id potissimum praedicet cum collegis eum ludos sevirales edidisse. —

Ergo ne ex his quidem locis utilitatis quicquam redit ad discrimen inter sevirum et principem iuvent. tollendum.

Neque alia in re Mommseni sententiae plaudere possum: ‚principes iuv. cum constet inter omnes fuisse principes equitum, seviri autem equitum R. non sint nisi ipsorum equitum duces, fieri non potest quin inter seviros potissimum illi eminuerint.'

— Meo enim iudicio princeps alicuius ordinis nominari potest is qui genere opibus auctoritate ceteros superat, etiamsi officia muneris non susceperit. Itaque quaestionem ita potius instituendam puto, num omnino principatui iuvent. dignitatem quandam iam liberae reipublicae temporibus usitatam subiungamus necesse sit? — cui vix responderi poterit nisi antea consideraverimus quam Augustus moderandae reipublicae et extruendi stabiliendique ipsius dominatus secutus sit rationem.

C. Octavianus cum Lepidum triumviratus collegam legionibus spoliasset et earum ope adiutus Antonium pugna Actiaca devicisset eoque interfecto et Pompeianis profligatis bellum civile confecisset, viam sibi muniverat ad suscipiendum totius orbis imperium.

Nec dubitavit rerum potiri, sed quae Caesar extremis vitae annis nimia fiducia atque audacia flagitaverat, ea maxima prudentia et calliditate assequi intendit. Ita enim studiis eorum qui libertatem retinere volebant serviebat, ut omnes liberae reipublicae magistratus servaret vel qui administrari desiti erant restitueret — ut censuram. Idem honores et eos quos populo invisos esse sciebat ex memoria recenti vel pristina et eos qui suspicionem regni capessendi excitarent quamquam a senatu sibi delatos aspernatus est. Nec novicium magistratum introduxit, quo dominationem suam maxime firmaret, sed consulari potestate, paulo post tribunicia contentus fuit; hanc quidem maxime augens et alia munera quae vel sibi vel amicis reservaturus erat ad summam auctoritatem tollens.

Ab ea constantia qua Augustus semper utebatur eum non recessisse probabile est, cum imperium suum hereditarium reddere in animo haberet.

Tamen res ita non est urgenda quasi consilia sua Augustus perficere omnino non potuerit nisi reipublicae institutis servatis. Immo si cognoveris quid maxime Augustus spectaverit, cum titulum filiis imponeret, id mihi concedes dignitate titulo illi subiuncta non modo non opus fuisse Augusto, sed si eam subiecisset ut suspicioni locum quam maximum daret futurum fuisse.

Confirmato ut ei videbatur imperio Augusto maxima ea difficultas oborta est, ut sollemnem aliquam appellationem inveniret qua potestas extraordinaria accurate significaretur, cum nec regem nec dictatorem appellari se vellet. Legimus in Monum. Ancyr. graec. c. 7, 4, 2—5:

*πρῶτον ἀξιώματος τόπον ἔσχον τῆς συγκλήτου ἄχρι ταύτης τῆς ἡμέρας, ἧς ταῦτα ἔγραφον ἐπὶ ἔτη τεσσαράκοντα.*

Eum vero non tam dignitatem principis senatus quam omnino principis nomen quaesivisse recte colligitur ex Tacito qui narrat Ann. I, 1: ‚Augustus cuncta discordiis civilibus fessa nomine principis sub imperium accepit'; — tum ex eo quod, etsi Augustus in legibus titulisque eo abstinuit ut debuit, cum magistratui nulli responderet, tamen ad suum locum iudicandum illud adhibuit in Mon. Ancyr. II, 45; V, 45; VI, 6; — ac similiter scriptores quoque qui aetate Augusti et Tiberii florent principis vocabulo utuntur (cf. Ovid. fast. l. II, 42; Horat. I, 2, 50).

Id sane vim propriam tum demum nactum est cum Augustus et qui ei in dominatione successerunt ad se principis nomen restringerent. — Quae res non obstat quin statuamus Augustum ut ceteros quondam principes senatus in albo senatorum primum locum obtinuisse.

Cum Romanos assuefacere vellet, ut imperii successores ante oculos semper haberent et solam adoptionem qua consilium successoris commendandi exprimeretur non sufficere intellexisset, id unum intendit cum populum Romanum certis formulis ac titulis plurimum tribuere sciret, ut nomen principis ad filios quoque quos successores elegerat transferret. Eum enim quem patre vivo iam principem vocassent mortuo patre facilius in eius locum successurum esse sperabat.

Quapropter principis senatus appellationi qua ipse utebatur similem principis iuventutis ad filios adhibuit, caute prisco vocabulo novam rem declarans. Romani enim eos qui in exercitu stipendia merebant quia annum aetatis quadragesimum sextum non attigerant *iuventutis* nomine comprehendere soliti equitum centurias, quippe quibus ab initio reipublicae Romanae primores civium semper ascripti essent, *principes* iuventutis appellabant.[1])

Memoriam huius rei si resuscitasset omnem offensionem in titulo indendo se evitaturum esse haud inscius insignia equestria adiecit titulo — parmas et hastas argenteas — eiusque per equitum turmas filiis impertiendi ipse sine dubio auctor erat. In indice quidem rerum gestarum factum id esse scribit per *universos* equites. Sed rem ab Augusto non plane enuntiari neque honorem illum per universos equites filiis tribui potuisse, nisi ipse Augustus id voluisset, facile ostenditur. Nam discrimen semper

---

1) Liv. II, 12. 15: ubi Mucius adolescens nobilis: trecenti, inquit, coniuravimus principes iuventutis.

IX, 14, 16: omnia patienda potius quam proderetur salus tot (DC) principum iuventutis.

XLII, 61, 5: equites enim illis principes iuventutis; equites seminarium senatus.

VII, 10, 1: Diu inter *primores* iuvenum Romanorum silentium fuit.

II, 33, 5: erat tum in castris inter primores iuvenum Cn. Marcius. cf. III, 27, 1; II, 20, 11 (III, 61, 7).

statuerunt Romani maximum inter duo genera equitum. Quorum in alterum qui adnumerarentur ex censu equestri nomen quidem tulerunt equitum — ab ineunte u. c. saeculo V exeunte IV — sed praeterquam quod ex C. Sempronii Gracchi lege ex eis album iudicum constituendum erat nihil iuris aut officii habebant. Alterius erant qui priscis illis equitum centuriis turmisve attributi etiam tum corpus quoddam formabant ad sacra facienda, ad ludos edendos ad pompam Idibus Quinctilibus ducendam. Ab hisce equitibus equo publico titulum iure deferri etsi iam inde apparet quod eos ipsos liberae reipublicae temporibus principes iuventutis vocare Romani consueverant exemplo confirmatur quo nullum poterit inveniri gravius. —

Discimus ex Ciceronis loco (orat. Phil. VI c. 5, 12) L. Antonium a quinque et triginta tribubus patronum adoptatum eique statuam equestrem esse positam inscriptis verbis: *quinque et triginta tribus Patrono.* —

Quem honorem si ex decreto demum tribuum vel eorum qui tribubus praeerant L. Antonio habitum credamus oportet, similiter statuendum erit de altero honore eidem L. Antonio mandato quem mox perstringit Cicero verbis hisce (l. l. § 13): — Sed haec una statua, altera *ab equitibus Romanis equo publico qui item ascribunt: ‚Patrono'.* — Atque cum constet sevirorum collegium simulatque equites equo publico prodierunt in publicum eis praefuisse et pro eis egisse, cumque nihil notum sit de concilio equitum centuriarum in quo omnes equites de rebus ad equitum centurias pertinentibus suffragia tulerint, non est cur ab ipsis seviris L. Antonium patronum salutatum esse negemus. Unde fit ut etiam eum titulum de quo nunc agitur nomine equitum equo publico ex sevirorum decreto filios Augusti accepisse satis probabile sit.

Qui titulum hoc modo inventum ac delatum finxerit is errori inveterato illi amplius non se addicet nec principatum iuventutis petet ex ipsa sevirorum dignitate.

Mommsenus in errore illo perseverare videtur ob eam maxime causam quod Augusti, ne suspectum redderet titulum, interfuisse putat, cum prisca dignitate eum coniungere. Sed quantae temeritatis atque imprudentiae Augustus arguitur, si dignitatem quidem quae apta ei videbatur ad notandum successorem filiis detulisse dicitur, non eius nomen? — si collegium quod ex sex seviris per

tot saecula constiterat auctore Augusto tum quattuor vel quinque comprehendit puros seviros, unum duosve qui et seviri et principes iuventutis essent? — denique si in lapidibus statuisque in honorem filiorum positis non sevirum sed principem iuvent. eum fuisse inscriptum legebatur et sevirorum nomen quasi indignum videbatur quod ad filios Augusti transferretur? Nonne titulo hunc in modum dato Augustus aperuisset quae in animo haberet consilia? Quid minus congruit cum ratione ista quam in amplificando suo loco summa constantia ab eo adhibitam esse supra exposuimus?

Obstat Mommseni sententiae etiam alia res. — Principes iuvent. eosdem fuisse atque seviros censet, quorum nomine decuriones et optiones turmarum equestrium in legione duces significari dicit, quos ab imperatore electos esse Mommsenus non ignorat. Itaque quomodo is probare voluerit ab equitibus ipsis principes iuvent. vel seviros creatos esse vix quisquam intelleget.

Adde quod apud nullum rerum scriptorem mentio invenitur principem iuvent. munere seviri functum esse. Immo si Augusti alicuius filius illud administrasse traditur, sevir sane, numquam vero princeps iuvent. vocatur (cf. de M. Aurelio Capitolinum biographum 6, 3). Itaque ne hac quidem in re Mommseno assentiar dicenti nomen principis iuv. fuisse reservatum filiis Augustorum, seviros reliquos eius collegas semper esse nominatos (Comment. Mon. Anc. p. 36).

Denique vix suspicor quemadmodum Mommsenus explicare possit qui factum sit ut principes iuvent. in lapidibus commemorarentur vel medio quarto p. C. saeculo, cum centum annis ante seviri in titulis memorari desiti sint; quam rem ingenti inscriptionum copia satis firmatam intellegere omnino non poteris nisi inter utrumque honorem distinxeris. —

Quos quia in unam dignitatem Mommsenus confudit, maximae ei obortae sunt difficultates, et cum a consule eiusmodi munus administrari non posse videretur, contendit titulum suscepto munere senatorio deponendum fuisse quam sententiam in altera paragrapho refutaturum me esse spero. —

§ 2.

## Principes iuventutis titulum etiam suscepto munere senatoris non deposuerunt.

(Mommsen, Röm. Staatsrecht II², p. 801:)

Die Stellung des princeps iuv. ist nach der ursprünglichen Handhabung als ritterliche Stellung mit der senatorischen unvereinbar, geht also verloren, wenn der Inhaber zu einem senatorischen Amte gelangt.

quam sententiam repetivit in nota ad inscriptionem C. I. L. II, 3267, ascripta:

‚quamquam titulum ita recte expletum esse existimo, tamen observandum est in titulis emendate perscriptis C. Caesarem non appellari principem iuventutis, postquam fascibus susceptis et senator factus equestris ordinis esse desiit' (cf. not. ad C. I. L. VI 1, 884).

Eodem errore capti etiam Henzenus (cf. ad C. I. L. VI 1, 3748) et Wilmannsius (exempla inscr. Latin. Nr. 880, not. 16) lapidum scripturas male emendarunt eundem omnes auctorem secuti.

Mommsenus vero ea verba nunquam edidisset, nisi cum seviratu equitum Romanorum principatum iuvent. coniunxisset. Itaque qui probatis quae in prima paragrapho exposui principem iuv. eundem esse ac sevirum negat, ei etiam haec altera Mommseni sententia impugnanda est.

Satis aliunde constat equites munere senatorio suscepto inter equites referri et fungi dignitate equestri desiisse. Sed qui non tam dignitatem equestrem quam titulum tantummodo ab equitibus acceperat atque eum non ut eques, sed ut principis filius, is cur senator factus eum deponere debuerit non video, praesertim cum nullis officiis in ordinem equestrem cum titulo susceptis inter haec et senatoria officia certamen ei esse non posset.

Equidem quin titulum qui eo ornari solebant ad eum usque diem retinuerint, quo vel tribunicia potestate accepta imperii consortes vel patre mortuo principes facti sunt, non dubito praesertim si quid Augustus illo titulo exprimi voluerit respicio.

Quo enim modo, qua dignitate, quo alio nomine consilium proponendi successoris perspiciebatur, si id quod saepius accidit inter

consulatum et principatum decem vigintive anni intererant? — Sed cum nesciam quemadmodum viri docti sententiam meam in § 1 propositam accepturi sint, probentne an reiciant, neglectis plane quae ante disputavi, titulum principis iuv. a consule non esse depositum demonstrabo magna inscriptionum copia allata, ne certi ac firmi quicquam desideretur, in quo tuto consistamus.

Ac videamus primum a quonam aetatis anno titulum principes iuv. acceperint.

C. et L. Caesares qui primi eo ornati sunt annum quintum et decimum agentes antequam in forum deducti essent consules designati et principes iuvent. appellati sunt, ut ipse scribit Augustus (Mon. Ancyr. 3, 4—6). Itaque Gaius a. u. c. 734 natus nomen accepit a. *748* et Lucius eo insignitur a. u. c. 751.

De eadem re cum Augusti verbis consentit Tacitus qui Ann. I, 3, haec narrat: ‚Augustus C. et L. *necdum posita puerili praetexta* principes iuv. appellari, destinari consules specie recusantis flagrantissime cupiverat.' —

Contra cum Zonaras ex Dione excerpserit ad annum demum *749:* *τῷ δ' ἐφεξῆς ἔτει δωδέκατον ὑπατεύων ὁ Αὔγουστος ἐς τοὺς ἐφήβους τὸν Γάιον ἔταξε καὶ ἐς βουλευτήριον ἅμα ἐσήγαγε καὶ πρόκριτον ἀπέφηνε τῆς νεότητος* e. q. s. alium annum subicit atque quem Augusti et Taciti verba requirunt. H. Norisius (cenot. Pisan. II, 3) ne Dionem erroris admissi convinceret cum eius narratione quae Tacitus rettulit miscere conatus est, ita ut diceret: ‚Gaium *ante* virilem togam eos honores ab equitibus atque aliis ordinibus tulisse, quos tamen Augustus *die tantum* virilis togae eidem re vera deferri voluit.' —

Unde vero probatur hominem qui consul designatus vel titulo quodam ornatus erat aliquamdiu nomine consulis designati vel titulo abstinuisse nec statim ex ipso eo die usum esse quo acceperat? Quamobrem C. et L. ante virilis togae diem principes iuv. fuerunt quod non usitatum fuisse Tacitus liquidissimis verbis indicat: (l. l.) ‚*necdum posita puerili praetexta* principes iuv. appellari, destinari consules specie recusantis *flagrantissime cupiverat.*'

Nec posteriore aetate, quamdiu vis propria tituli viguit, cum quisquam assumpsit ante virilis togae diem, id quod Suetonius (ed. Roth. Caligula 15, v. 14. Dio 59, 8) de Tiberio, fratre Cali-

gulae tradit: ‚fratrem Tiberium *die virilis togae* adoptavit appellavitque principem iuventutis.'

Tacitus de Nerone (Ann. 12, 41): ‚Ti. Claudio V. Servio Cornelio Orfito consulibus virilis toga Neroni maturata, quo capessendae reipublicae habilis videretur et Caesar adulationibus senatus libens cessit, ut vicensimo aetatis anno consulatum Nero iniret atque interim designatus proconsulare imperium extra urbem haberet ac princeps iuvent. appellaretur.'

De Commodo Aelius Lampridius (vita Commodi 1, 10): ‚appellatus est autem Caesar puer cum fratre Severo. decimo quarto aetatis anno in collegium sacerdotum adscitus est. cooptatus est inter trossulos[1]) princeps iuventutis, cum *togam sumpsit.*'

Iam ut errorem tollam in quem facile verbis Suetonii modo citatis deceptus incidas, id unum addo titulum cum adoptione prorsus non esse coniungendum. Immo C. et L. Caesares a. u. c. 737 simul adoptati quidem, sed ille a. 748, hic a. 751 eum usurpavit et Nero a. 50 p. C. in Caesarum familiam receptus a. 51 p. C. demum titulo dignus putatus est; cum eis contra qui sumpta virili toga adoptabantur cur eodem die titulus recusaretur nulla causa erat. Cuius rei ratio ex consilio heredem adoptione asciscendi, titulo delato successorem proponendi petenda est.

Tituli vi omnino neglecta Mommsenus legem istam paragrapho praepositam affert quam cum certis argumentis destitutus ne Augusti quidem aetati adhibere posset, extendere non debuit ad omnes principes iuvent. usque ad Domitianum, de quibus nec scriptorum loci nec inscriptiones nec nummi praesto sunt, unde aliquid auctoritatis Mommseni sententiae accedere possit. Itaque cum de Gaio solo omnis haec quaestio instituenda sit inscriptiones quae huc spectent congeram.

Primum eae proferantur quae annis u. c. 751—754 scriptae Gaium et pontificem et consulem designatum et principem iuv. exhibeant. (Index A, I, 1—3.)

Deinde inspicias lapides qui annis u. c. 754—757 et post eius decessum inscripti titulum et consuli et imperatori servent. (Index A, I, 4—10.)

---

1) Codices praebent *tres solos;* cur Lipsii coniecturam *trossulos* praetulerim paulo infra exponetur.

Etsi adhiberi non potest ad sententiam nostram fulciendam inscriptio quam videas apud Orellium N. 640:

(Nemausi in aede quadrata)
C·CAESARI·AVG·F·COS·L·CAESARI
AVG·F·COS·DESIGN·PRINCIPIBVS·IVVENT.

cum ex divinatione admodum incerta Seguieri eam se dedisse ipse adnotaverit, tamen inscriptio N. 4 Sulmone effossa aeque omnem dubitationem tollit ac N. 5 quam ipse Mommsenus descripsit et in qua *cos.* compendio adici non possit *des.*, cum illud medio in versu συμμετρίας causa — ut verbo Graeco utar — positum sit. Integri porro sunt testes lapis N. 6, eadem de causa non corrigendus quam ad N. 5 exposui et Nr. 8 qui etsi mutilatus tamen **I** primam litteram *imperatoris* verbi post *cos.* servavit; ita ut **D** = *designati* primam litteram suppleri non liceat. Quibus ex inscriptionibus cum iam perspicuum sit Gaium quoad viveret semper titulum retinuisse, eae non repudiandae sunt, de quibus certi nihil asseverari potuit, quia in codicibus tantum servatae ut N. 10 aut nimis mutilatae sunt ut N. 7 in qua ad *cos.*, quamvis angustius spatium superesset, *des.* Henzenus addidit et N. 9 cuius scripturam Mommsenus ad inscitiam hominis provincialis referre non veritus est. Quod cum faceret Mommsenus, eum fugit etiam in ipsa Italia et oppido non tam longo intervallo ab urbe disiunctis (4. 5) inscriptiones repertas esse titulum etiam consuli assignantes, quas cum omnes ab imperitis hominibus positas esse nemini persuadere posset, plane neglexit vel emendavit ex inscriptione apographo tantummodo anonymi Einsidlensis servata:

CAESARI·I·CAESARI· |
AVGVSTI·F·AVGVSTI·F· |
DIVI·NEPOT·DIVI·NEPOT· |
PONTIFIC·COS·AVGVRI·COS·DESIGN· |
IMPERATORI·PRINCIPI·IVVENTVTIS |

Quae a Mommseno ad pristinum ordinem redacta titulum Lucio tribuit, Gaio adimit:

C. I. L. V, 2, 6416, in porta Papiae. Eins.

| | |
|---|---|
| c·CAESARI | l·CAESARI |
| AVGVSTI·F | AVGVSTI·F |
| DIVI·NEPOT | DIVI·NEPOT |
| PONTIFIC·COS | AVGVRI·COS·DESIGN |
| IMPERATORI | PRINCIPI·IVVENTVTIS |

In arcu quodam Ticini toti Augusti familiae et coniugi et filiis nepotibusque statuae videntur fuisse positae, quarum in basi nomen et honores eorum notata erant. Cum spatium certum illis titulis praescriptum esset, putes propter angustias spatii principis iuvent. appellationem esse omissam. Quod equidem non probo, cum lapicida compendiis usus facile sic scribere potuerit:

C·CAESARI
AVGVSTI · F
DIVI · NEPOT
PONTIFICI·COS·IMP
PRINCIPI·IVVENTVTIS

Sed mea quidem sententia inscriptionibus quas nunc quoque ex lapidibus colligere possumus maior vis tribuenda est ad quaestionem eiusmodi solvendam quam eis quas librariis tantummodo debemus, etsi auctoritas Anonymi Einsidlensis maxima est. Cum enim nunc statui non iam possit, quatenus lapis aetate Anonymi salvus fuerit, nescimus utrum iam tum principis iuvent. appellatio evanuerit an oculi Anonymi bis idem scriptum videntes erraverint.

Itaque ad Mommseni iudicium meam sententiam ascribere dubito, quia nullo praeterea argumento eam adiuvari video. Nam cum haec adnotet ad inscr. C. I. L. VI, 1, 884: ‚C. Caesarem deposuisse titulum ostendunt et arcus Ticinus et *alii* tituli' — disertos quidem sententiae suae testes omnino non produxit.

Deinde Dio de sollemnibus in honorem C. et L. Caesarum mortuorum habitis referens haec addidit (55, 12, 1): *αἵ πέλται τά τε δόρατα ἃ παρὰ τῶν ἱππέων ἐς τοὺς ἐφήβους ἐσιόντες χρυσᾶ* (immo *ἀργυρᾶ*) *εἰλήφεσαν ἐς τὸ βουλευτήριον ἀνετέθη.* — Unde manifestum fit, cum de utroque iuvene, non de Lucio solo, scriptor haec tradiderit, etiam Gaium usque ad mortem fuisse principem iuvent. Nam quomodo insignia dignitatis is retinere potuit, qui ex ea complures iam annos cesserat.

Et Pisani quid sibi voluerunt? cum quererentur (Wilm. 883): ‚C. Caesarem crudelibus fatis ereptum populo Romano iam *designatum* iustissimum ac simillumum parentis sui virtutibus *principem.*'

A Pisanis *designatum principem* adulandi causa pro principe

iuventutis usurpatum esse concedam, sed voce illa sine dubio non essent usi, nisi quodammodo consilium designandi principis aperte proditum fuisset. Atque cum is qui consul praetor quaestor designatus erat non antea designatus esse desineret quam munia magistratus sibi delati susciperet, statuendum erit Pisanos ad vocem illam adhibendam motos esse eo quod titulum, cuius vim perspexisse videntur, ad mortem usque Gaius retinuit.

Quod de Gaio statuimus magno numero eorum qui titulum post eum acceperunt confirmatur neque ullum reperitur argumentum quo nostra sententia refutetur.

Tiberius quidem quem Augustus cum adoptasset tribunicia potestate delata imperii participem fecit titulum propter hanc ipsam causam accipere non potuit.

Germanicum autem eo ornatum fuisse tametsi rerum scriptores tacent, tamen facile ex Taciti verbis colligas cum narrat eum quem an sibi successorem imperii ascisceret Augustus diu haesitaverat denique a Tiberio adoptatum et successorem olim imperii esse destinatum. Quod cum sciamus non est cur titulum illum ei fuisse negemus. Sed cum neque inscriptionum nec nummorum ea de re testimonia afferri possint ne omnibus argumentis destituti videamur, hunc unum afferre licet locum Ovidii (ex Ponto II, 5, 41):

‚Te *iuvenum princeps,* cui dat Germania nomen,
Participem studii Caesar habere solet.'

Nam verbis *iuvenum princeps* pro titulo poeta iam ante usus est, ubi de Gaio Caesare cogitavit (art. amat. l. I, 194). Quamobrem cave ne credas eam tantummodo vim in eis verbis inesse quam apud Ciceronem exornandi causa adhibitam saepius legis (ad Attic. II, 1; or. p. Sulla 12, 34). Et cum constet libros ex Ponto scriptos esse post Tristium libros, qui non ante annum tertium decimum p. C. confecti sunt — id quod docet V, 3 — etiam versus modo citatos *post* annum duodecimum p. C. scriptos esse probabile est.

Si igitur poetam sequimur Germanicus princeps iuvent. erat, cum et quaestor (7 p. C.) et praetor (10 p. C.) et consul (12 p. C.) fuisset. Confirmari videtur haec res Taciti verbis de honoribus mortuo Germanico decretis referentis (Ann. II, 83): ‚equester ordo cuneum Germanici appellavit qui iuniorum dicebatur instituitque

uti turmae Idibus Iuliis imaginem eius sequerentur.' — Qui honor quid significet sic facile intelleges, si eum cuius mortui imago tamquam primi inter equites ante omnes turmas ut ferretur decretum erat etiam vivum primum fuisse inter equites (scil. principem iuv.) credes. Nam alius honoris Germanico ab equitibus equo publico delegati mentionem nullam inveni.

Sed id quoque concedendum erit Germanicum usque ad mortem titulum retinuisse. Qui enim fieri potuit ut equites Germanicum anno 19 p. C. mortuum eodem honore iterum afficerent quem, si a Mommseni partibus steteris, ab eo anno 12 p. C. quo consul creatus est depositum esse statuendum est?

Idem quod de Germanico explicavi conicio de Druso, sed nullo alio argumento adiutus nisi Taciti loco (Ann. IV, 9) et tabula aenea (C. I. L. VI, 912).

Tiberius Drusi minoris filius quem Caligula adoptavit et principem iuvent. appellavit (Suet. Cal. 15; Dio 59, 8) eodem anno interemptus est (a. 37 p. C.) nullo magistratu functus (Suet. Cal. 23). Quapropter ad nostram rem illustrandam nihil valet; nec Nero qui post Tiberium titulum accepit anno 51 p. C. (Tac. Ann. 12, 41). Nam antequam munia consulatus quem ut iniret a. 57 p. C. decretum erat suscipere posset princeps factus est a. 54 p. C.

Si Mommsenus ne suam ipse sententiam impugnaret contendit: '*non semper* aetate Flaviorum hanc legem quae consuli ut titulum deponeret praescriberet observari' equidem dico *numquam* eam, quippe quae omnino nulla esset a Flaviis esse observatam. Titus enim a. 69 p. C. appellatione principis iuv. donatus eam tum demum omisit, cum consortem tribuniciae potestatis eum fecit Vespasianus (a. 71 p. C.).

Et lapides et nummi quorum magnam copiam in indicem A contuli satis perspicue demonstrant Domitianum inter primum consulatum et septimum semper titulo principis iuventutis fuisse usum. Aeque atque ille ceteri qui secuti sunt principes iuvent. et secundi et tertii p. C. saeculi titulum etiam postquam consules facti sunt retinuerunt.

Quibus omnibus rebus perpensis legem a Mommseno propositam non agnosco ac reicio rationem quam secuti et ipse Mommsenus et Henzenus complures inscriptiones corrigere conati sunt (ut C. I. L. VI, 1, 884, et VI, 1, 3748).

Si iam ut huius legis coniecturam proponeret quam modo a me sublatam esse confido Mommsenus eo maxime motus est quod consilium titulo expressum non respexit, ad eandem rationem referamus oportet aliam sententiam quam his fere verbis docuit in libro qui inscribitur Römisches Staatsrecht II², p. 1085:

„Die Begrüssung als princeps iuv. bezeichnet wohl im allgemeinen die Aussicht ihres Trägers auf den künftigen principatus der Gemeinde, aber keineswegs ist sie ein Vorrecht des für die Nachfolge in Aussicht genommenen Prinzen, da diesem Ehrentitel durchaus die Ausschliesslichkeit fehlt und er *regelmässig jedem erwachsenen Prinzen* gewährt wird.“ (cf. R. Staatsr. II², 801.)

Quibus verbis unum testimonium opponam: adoptavit quidem Augustus Agrippam postumum (a. 757 u. c.) annum quintum decimum agentem, numquam vero eisdem honoribus exornavit quibus eius fratres C. et L. Caesares. Adde Mommseni verba unde virum doctissimum hac de re ipsum secum dissentire appareat (Röm. Staatsr. II², 1109, not. 3):

„Dass Augustus seinen beiden ältesten, fast gleich alten Enkeln ein *Sammtprincipat* zugedacht habe, ist wahrscheinlich. Die gleichzeitige Adoption und Erhebung *beider* zu principes iuv. lassen sich nicht anders verstehen.“ —

Ex eo quod non Gaio soli sed etiam Lucio titulus defertur vir doctissimus utrumque ab Augusto successorem fuisse destinatum colligit — quod ut aliis verbis circumscribam: Lucius titulo ab Augusto non ornatus esset nisi principatus participem simul cum fratre eum Augustus delegisset. Multo igitur graviorem vim appellationi hoc loco vindicat M. quam loco antea laudato.

Quamvis equidem tituli vim graviorem obtineam, tamen non eadem causa quae Mommseno etiam mihi placet, cur Augustus utrique nepoti nomen illud dederit. Aliam hanc interpretationem res admittit: mortuis enim quos ut praesidia dominationis sibi asciverat Q. Marcello et M. Agrippa id cavisse Augustus mihi videtur cum utrumque nepotem simul titulo ornaret ne, si alter eorum fato sibi ereptus esset, ipse iterum successore orbaretur. Quo consilio morte eorum ad irritum redacto postquam Tiberium iam socium tribuniciae potestatis sibi adiunxit, coegit eum cui iam filius erat Drusus, ut etiam Germanicum adoptaret. Atque idem fecit Vespasianus cuius filii Titus et Domitianus eodem die Caesares et principes iuv.

appellati sunt: quorum maior Titus paulo post a patre tribunicia potestate auctus titulum deposuit ita ut inde unus princeps iuv. Domitianus esset usque ad eum annum quo ipse principatum iniit (81 p. C.). Semper si duobus simul titulus defertur maior eorum ‚propior est successioni'. —

Neque vero ulla re probatur umquam principes iuv. fuisse plures quam duos: nam quod huius sententiae testimonium semper protulerunt nullum est. Quamvis notissimus ille locus (Ael. Lamprid. vita Commodi I) saepe iam tractatus sit, tamen denuo paucis de eo disserere a nostro proposito non alienum puto. Ascripsi eum ut in codicibus traditur: ‚— appellatus est Commodus Caesar puer cum fratre Severo. decimo quarto aetatis anno in collegium sacerdotum adscitus est: cooptatus est inter *tres solos* principes iuventutis.' —

Spanhemius qui copiosus de his verbis disputavit atque ab omni mutatione ea defendit ita interpretatus est: ‚Commodus inter principes iuvent. cooptatus est qui non plures quam tres soli dicuntur exstitisse.' — atque ipse eam dignitatem ex seviratu ducens tum pergit: ‚distincti vero iidem seviri in seniores et iuniores adeo ut tres e iunioribus constarent qui vulgo tradito e vetere republica titulo ac more principes iuv. dicti sunt. In eo autem seu plurium seu trium principum iuv. collegio facile credimus primas obtinuisse filium Augusti.' —

Seviri autem duces turmarum fuerunt quibus equitum iuventus comprehendebatur. Itaque cum distinctio ista inter iuniores ac seniores ad seviros non spectet Spanhemius nullum argumentum habet quo trium fuisse collegium principum iuv. persuadeat. Praeterea satis erit monuisse quemadmodum inter sevirum et principem iuv. discreverimus (cf. § 1).

Et ut alios omittam qui hac de re Spanhemi pedisequi novi nihil protulerunt, Mommsenus obscuram scriptoris sententiam aperuisse sibi visus est si scribit: ‚cooptatus inter tres solos *princeps* iuventutis' — hanc mentem subiciens: principes iuvent. fuisse nisi tres, tamen ex tribus i. e. *decurionibus*.

Scitu enim opus est quomodo sevirorum collegium constitutum finxerit Mommsenus (Mon. Anc. p. 35): ‚— equites R. constat turmatim ordinatos fuisse singulisque turmis numero quinquaginta quattuor praefuisse decuriones ternos et optiones ternos qui sunt

ipsi illi seviri unde qui honorificentissimus locus erat in ordine equestri primae turmae trium decurionum eum videntur occupasse C. et L. Caesares reliquique principes iuventutis.' — cui sententiae astipulari vel eam ob rem dubito, quia homines quorum impar potestas iam certo quodam nomine erat significata praeterea aliud nomen assumpsisse quo numerus eorum exprimeretur improbabile mihi visum est. Alias graviores causas quae in eam rem occurrunt hoc loco addere supersedeo, cum Mommseni scriptura ab eis defendi non possit qui diversos esse seviros ac principes iuvent. dicant.

Aliud quidem argumentum sed caducum Mommsenus duxit ex nummis Getae ‚in quibus cum scribatur P·SEPTIMIVS GETA CAES· PRINC·IVVENT·COS· cernuntur equites cito currentes *tres* quorum unus (Eckhel. VII, 230] praecedit, Caesar scilicet, duo sequuntur loci ut videtur inferioris.' —

Nam etiam alii nummi inveniuntur in quibus non tres, sed quattuor vel quinque equites in orbem (Cohen III, p. 470, N. 176) decurrentes conspiciantur verbis *princ. iuvent.* supra scriptis id quod ad pompam sive decursionem quandam spectat cuius dux princeps iuvent. est; ergo certum quoddam consilium in nummis illis tres figuras reddentibus inesse nego. —

*Solus* vocabulum (ita enim pro *solos* corrigit) ab auctore additum esse propter ea quae praecedant: appellatus est Caesar puer *cum fratre* Severo Mommsenus dixit. Sed non curavit verba quae praeterea antecedunt: ‚quarto decimo aetatis anno in collegium sacerdotum adscitus est' — quae cum de Commodo solo, non de eius fratre Lampridius rettulerit nec *solius* vocabulo usus sit, elucet hoc omnino non opus esse ad intellegendam verborum sententiam. Itaque postquam expositum est nec *tres* nec *solus* teneri posse, ad egregiam Lipsii coniecturam deducimur, qui ita verba emendavit:

‚cooptatus est Commodus inter *trossulos* princeps iuventutis.' —

Prisco enim illo nomine equites reipublicae antiquissimis temporibus significabantur (Varro, Sat. Men. Riese, p. 213; Nonius I, 240; Festus 367, 20 epit.; Plinius 33. 2, 9. § 36, ed. Detlefsen).

Verum est subinde illud obsolevisse ac malam vim nactum esse, ut vel iactantes nobilitatem et vitam mollem agentes significaret (Seneca ep. 76, 1; 87, 8; Persius I, 82, schol.).

Sed eam ob rem si Mommsenus: ‚certe, inquit, auctor qualis

est biographus vetere et plane obsoleto nomine trossulorum equites appellare non potuit' — nescio an melius sit Marquardto assentiri qui ea potissimum re motus quod nusquam tres fuisse principes iuv. traditum est, cum scriptores posterioris aevi (quarti p. C. saec.) obsoletis verbis sermoni splendorem quendam addere soliti essent, non dubitat quin Lampridius verbo illo usus sit, cuius notionem primo p. C. saeculo depravatam non iam sciebat, quia diutius iam ex sermone evanuerat. Nec veri dissimile est librarios qui illud raro sane occurrens in veterum scriptis non intellegerent depravasse illud in *tres solos.*

Qua re probata locus ita interpretandus est: Commodus inter trossulos (i. e. equitum centurias) princeps iuv. cooptatus est — qua in explicatione cooptandi verbo noli tantum tribuere, ut collegium quoddam eruendum esse putes cuius particeps fuisset princeps iuventutis. Immo quem in terminis technicis adhibendis diligentem fuisse aegre dicas cooptandi verbo abusus est pro verbis appellandi nominandi.

Acceptis eis quae hac in paragrapho disserui sententia quam in paragrapho prima proposui magnopere firmatur.

Nemo profecto eo procedet ut contendat id quod nullo exemplo comprobatur *munus equestre idque tam parvum* ab hominibus qui ad summos in civitate Romana honores pervenerant esse administratum.

---

## § 3.

## Augusti titulo usi sunt ab ineunte saeculo p. C. tertio.

(Mommsen, Röm. Staatsr. II ², 801:)

„Die Stellung des princeps iuv. bleibt noch eine Zeit lang unvereinbar mit dem Besitze der Mitregentschaft und bis auf die späteste Zeit mit dem des Principates selbst;“ et nota 9: „den jugendlichen Augusti des 3. Jahrhunderts wird hie und da dieser Titel beigelegt, so dem Caracalla auf der Inschrift Orelli 930; aber es geschieht nie in officieller Titulatur und ist lediglich Missbrauch des Titels durch unwissende Concipienten.“ —

Quibus verbis Mommsenus errorem Eckhelii sibi visus est

evellisse cuius nomen licet reticeat, sententiae ut ignarus fuerit Momms. fieri non potest. Eckhelius enim primus, ut in prooemio indicavi etiam Augustos tertii vel quarti p. Ch. saeculi titulo usos esse demonstrare studuit. Mommsenus autem testibus quos homo ille doctissimus produxerat sive quia pauciores sive quia parum certi videbantur rem veri tam dissimilem probari negavit, cuius iustam causam eruere non potuit, immemor nimirum primariam titulorum notionem facile mutari. Sed praeclara nummorum sub imperatoribus Romanis cusorum editione nova et certa materies congesta est a Coheno, qui nummis ad examen severius revocatis quos spurios invenerat obelo confixit. Accedunt complura corporis inscriptionum Latinarum volumina recens edita. Satis est cognovisse inscriptionum et nummorum luculentam copiam quam in indices B et C congessi, ut quam verum sit quod Eckhelius docuit appareat.

Itaque tantummodo ratio eius rei restat invenienda quam ut paulo altius repetamus opus est.

Tituli principis iuv. adhibendi consuetudo ac mos quae in altera huius libelli paragrapho proposui per totum fere primum p. Ch. saeculum viguit. Qui factum sit ut inde ab illo tempore in oblivionem venire potuerit mox intelleges.

Domitianum qui ex eo die quo principatum iniit titulo abstinuit, quominus successorem sibi eligeret, metus semper prohibuit. Neque Nervae titulo ad filium transferendo opus fuit, quia Traianum quem adoptavit tribunicia potestate statim donavit. Et Traianus nullum unquam successoris destinandi consilium prodidit. Itaque cum per quadraginta prope annos appellatio principis iuv. usurpata non esset, eius vim facile obscurari potuisse nemo infitias ibit. — Alia accedit res.

Cum Romani satis sibi persuasissent imperium orbis terrarum obtineri non posse, nisi penes unum summa rerum esset, facile passi sunt ut in mortui principis locum successor illius statim constitueretur. Quamobrem omisso nomine, quo superioris aetatis principes quasi tecte consilium successoris proponendi indicaverant, aliud mox placuit vocabulum quo qui successurus esset in dominatione omnium notitiae indicaretur.

Nemo ignorat omnes eos qui adoptione in gentem Juliam asciti et qui ei agnati orant, ut ipsum quondam Augustum cognomen Caesaris assumpsisse (C. L. Tiberium, Germanicum alios — deinde

Claudium et Neronem etsi hi nomen Claudiae gentis semper sibi servarunt).

Cum Nerone occiso nemo esset qui e gente Julia procreatus et Caesaris cognomine insignis imperium suscipere posset, Vespasianus postquam adversarium devicit Vitellium princeps factus Caesaris cognomen et ipse sibi vindicavit et filiis impertiit; quod ut faceret eum sine dubio spes compulerat: sanctum iri cognomine illo quo tot principes iam usi erant et ipsius et filiorum olim principatum.

Eisdem rationibus etiam Nervam motum esse puto qui Traianum statim Caesaris cognomine adornavit, cui quam plane noviciam vim Hadrianus compararit colligimus ex Aelii Spartiani loco (vit. Helii II, 2): ‚nihil habet Helius Verus in sua vita memorabile nisi quod primus tantum *Caesar* est appellatus non testamento ut ante solebat neque eo modo quo Traianus est adoptatus sed eo prope genere quo nostris temporibus a vestra clementia Maximianus atque Constantius *Caesares* dicti sunt quasi quidam principum filii virtute *designati augustae maiestatis heredes.*'

Atque ab eo tempore quos successores populo Romano proponere voluerunt principes, ei omnes Caesaris appellatione insigniri solent, cuius de magna auctoritate dubitationem omnem adimit Capitolinus, cuius verba in vitae M. Antonii Phil. cap. VI, 3, edita comparentur cum eis quae in Veri vit. c. III, 5 scripsit. Marcus enim a Pio Caesar appellatus esse dicitur, non Verus eius frater quem successorem sibi Pius profecto eligere noluit.

Igitur tres quasi gradus cognomen illud Caesaris percurrit; nam ex solo cognomine quod ad omnes gentiles Julios pertinet fit medium quoddam inter cognomen et titulum, in quo certa quaedam mens inerat et quod etiam ad universos gentiles spectat, denique titulus quo successoris locus significetur ideoque huic uni reservatus. [1])

Quo facto gravem illam vim quam titulo principis iuvent. tribuimus ei ademptam esse in propatulo positum est nec facile aliam

1) Perspicitur haec mutata ‚Caesaris' vis etiam ex loco quem cognomen in inscriptionibus obtinet. Semper legimus

| | |
|---|---|
| C. Julius Caesar Aug. f. | Drusus Caesar Germ. f. |
| L. „ Caesar „ „ | C. Caesar. |
| Ti. „ Caesar „ „ | Ti. Claudius Caesar. |
| Germ. Caesar Ti. f. | Nero „ Caesar. |
| Nero Caesar Germ. f. | Vespasianus *Caesar* Aug. |

eamque meliorem causam excogitaveris, cur titulus inde ab Hadriani temporibus alia ratione adhibitus sit ac primo p. C. saeculo.

Cum omissa propria eius notione mox limites quoque neglegerentur quibus tituli usus circumscriptus fuerat, filiis Augustorum eum adhuc ab equitibus Romanis mandatum esse nullo testimonio probatur nec credibile est. Immo conicio ipsos imperatores filiis eum dedisse, utrum eodem die quo cognomine Caesaris eos ornabant an alio quodam id quidem in medio relinquo.

Sed certus quidam aetatis annus quo titulus iure imponi posset tum non iam observatus est. Nam si Commodus eum acceperat, cum togam sumpsit sicut ei qui primo p. C. saeculo eo insignes fuerant, M. Aurelius Ant. Caracalla eum gestabat octo annorum puer. Natus enim a. 188 p. C. in lapidibus anni 196 p. C. et nobilissimus Caesar et princeps iuvent. dicitur (Index A, X).

Pariter Geta minor Caracallae frater a. 198 p. C. Caesar factus titulum tulit vix nonum ingressus annum (Index A, XI). M. Jul. Philippi, ut alios omittam, qui Caesar nuncupatus est priusquam octavum aetatis annum attigisset simul in lapidibus ut principis iuv. mentio fit (Index A, XV).

Quid aliud tum titulo assumpto filii Augustorum profecerint, nisi ut honorificis nominibus quibus et pater et senatus populusque Romanus eos prosecutus erat aliud quoddam adicerent non assequor. Paulatim titulus ex more illius aetatis etiam splendidis verbis augetur. Dicitur enim *Caracalla fortissimus* aut *maximus fortissimusque* princeps iuv. (C. I. L. VIII, 2706. 2550). *Philippus* nobilissimus Caesar *nobilissimus* princeps iuv. (C. I. L. III, 3049). Carinus *victoriosissimus* princeps iuv. (C. I. L. II, 4103).

Qui haec reputaverit non iam mirabitur quod honorem principis iuv. quo tamdiu Caesares soli exornati sunt inde ab illa aetate ipsi Augusti susceperunt.

---

Imp. *Caesar* Vespas. Aug.
Imp. Titus *Caesar* Vesp. Aug.
*Caesar* Titus Imp. Vesp. Aug.
Imp. *Caesar* Domit. Aug.
Imp. Domit. *Caesar* Aug.

Imp. Nerva *Caesar* Aug.
Imp. *Caesar* Nerva Aug.
Imp. *Caesar* Nerva Trac. Aug.
Imp. Nerva Trac. *Caesar* Aug.

Deinde semper: Imp. *Caesar* Hadrianus Aug.
te filii: M. Aur. Verus *Caesar*.
P. Sept. Geta *Caesar* (nobil. Caesar).

Eam sententiam priusquam testimoniis locupletissimis tuter, id unum monuisse satis habeo nomine Augusti quod per tot annorum seriem uni semper reservabatur, soli principi, inde a M. Aurelio qui L. Verum fratrem eoque mortuo Commodum filium participes imperii sibi adiunxit et Augustos appellavit duos vel plures fuisse insignes (M. Ant. Phil. vit. 7, 6) ut Caracalla et Geta vivo patre Septimio Severo, Diadumenianus cum Macrino patre Augusti fuerunt.

Cum inter eos omnes nullum potestatis discrimen intercederet, quin eisdem omnes titulis atque honoribus usi sint dubium non est. Itaque si iuniores Augusti titulum usurparunt, non est mirandum quod subinde etiam Augusti qui imperium sibi arripuerunt, numquam igitur Caesares fuere, titulum sibi assumpserunt. Quod qui imperator primus fecerit adhuc disceptatur. Habemus enim in magna nummorum Vespasiano percussorum copia unum in quo haec sunt: in parte adversa: — IMP·CAES·VESPASIANVS AVG· — in parte aversa: — PRINCEPS IVVENT· a sinistra conspicitur *Spes* florem tenens et vestem suam relevans. — (Cohen I, p. 397, N. 393.)

Quae figura ne in errorem eum te perducat, ut verba *princeps iuvent.* de filio imperatoris Domitiano intellegas, id unum dico inter sexcentos nummos certum exemplum simile non reperiri. Semper enim nomen principis iuv. cuius in honorem nummus cusus est additur, ut ex magno numero unum afferam (Cohen I, p. 293, N. 185) — IMP·CAES·VESPAS·AVG·TR·P· — *post:* TITVS ET DOMITIANVS CAESARES PR·IVV· aut id quod rarius occurrit: nomen quidem omittitur, imago autem principis iuv. tum non desideratur ut (Cohen I, 314, N. 370) Titus et Domitianus equis inhaerentes spectantur. Itaque cum ad Vespasianum solum referri possit *princ. iuvent.* compendium, nummum pro spurio habebimus. Aetate enim Vespasiani tituli vim nondum fuisse obscuratam supra vidimus.

Pariter eiciamus oportet nummum qui est apud Cohen I, p. 443, N. 171 — Imp. Titus Caes. Vespasian. Aug. P. M. — *post:* princeps iuventutis. — et capra inter coronam ex lauro nexam — de quo qui edidit ipse dubitavit. Primus Augustus qui quin titulo insignis fuerit extra omnem dubitationem positum est est *M. Aurel. Ant. Caracalla*, id quod liquet cum nummi desint ex inscriptionibus. Nam quem puerum octo annorum principem iuv. fuisse supra adnotavi, postquam Augusti nomen iam a. 198 p. C. accepit solus fuit princeps patre mortuo et Geta interfecto ab a. 212 p. C. usque ad

a. 217 p. C. Tum quoque titulo eum non abstinuisse ex inscriptione colligitur C. Atio Sabino Cornelio Anullino cos. facta (a. 216 p. C.), quo anno tribunicia potestate XVIII functus est (cf. C. I. L. III, 2663).

Item *Geta* vivo patre Augustus appellatus princeps iuvent. fuit id quod aperte demonstratur lapide a. 205 p. C. ei posito (C. I. L. VIII, 9035).

Eum excipit *Diadumenianus* qui a. 218 p. C. particeps imperii factus eodem anno cum patre interfectus est (Ind. B. III).

Non tamen certi quicquam affirmare velim de *Alexandro Severo* qui ab Heliogabalo quidem adoptatus et Caesar nuncupatus est (a. 221 p. C.), sed mox ei invisus nomen Augusti post eius decessum demum suscepit; unam habemus inscriptionem eamque valde mutilatam quae in Mauretania effossa est (Ind. C. II).

*Maximum* tum commemoro filium Maximini Thracis qui a. 235 p. C. a patre imperii consors assumptus a. 238 una cum eo necatus est (Ind. B. IV, 1—4).

*Gordianorum* titulo ornatorum non salvae ad nostram aetatem pervenerunt inscriptiones. Ex nummis unum in quo legitur ab una parte: IMP·GORDIANVS PIVS FEL·AVG·, ab altera: PRINCIPI IVV· — Gord. globum et hastam tenens signatur, Cohenus reiecit (IV, p. 139, N. 123).

*Philippum* Arabem insero, quia primus fuit, si quid certi hac in re assequi poterimus, qui etsi numquam Caesaris cognomen accepit, tamen (Ind. C. III) titulo ornatus erat. Ceteros qui eum usurparunt si enumerare velim, facile ad fatigandum animum hae paginae scriptae esse videantur; quam offensionem evitaturus relego ad indices B et C quorum in hoc eos qui Caesares numquam fuerunt asterisco notavi. Inde etiam intellegitur titulum quem eodem tempore quattuor aliquando Augusti ferebant:

| | | | |
|---|---|---|---|
| Maximinus Daza | Aug. | 305—307 | (Ind. C. XIII), |
| Maxentius | „ | 306—311 | (Ind. C. XV), |
| Licinius I | „ | 307—324 | (Ind. C. XIV), |
| Constantinus | „ | 306—337 | (Ind. C. XVI), |

in usu fuisse usque ad medium quartum saeculum.

Agmen enim claudit Julianus (Ind. C. XVIII). Inde ab eo titulus non amplius legitur.

Ex tanto lapidum ac nummorum numero cum id constet etiam

Augustos titulo insignes fuisse, illa ratio plane reprobanda est quam in Mommseni vestigiis ingressus Hübnerus protulit in nota ad inscriptionem inter falsas relatam C. I. L. II, fals. 176 ‚principi iuventutis d. n. flavio claudio constantio nobilissimo ac florentissimo augusto respublica Malacitanorum curante sexto popilio' — cum nomina Constantii alterius omnino aliter efferri solita, tum nobilissimi et florentissimi Augusti atque *ante omnia* Augustus qui item princeps iuvent. dicatur fraudem patefaciunt.

Quibus ex verbis facile colligimus Hübnerum ut lapidem inter falsos referret maxime ea causa motum fuisse quam protulit postremam.

§. 4.

## Quemadmodum in nummis principes iuventutis signati sint exponitur.

Congruunt cum eis quae de tituli natura exeunte secundo p. Ch. saeculo perversa in proxima paragrapho commentatus sum signa nummorum in honorem principum iuvent. percussorum, quae quidem eo tempore, cum primaria tituli notio integra esset eiusque usus certis limitibus circumscriptus, notis quibusdam titulum ab equitibus quondam mandatum esse doceant, sed id non iam indicent inde ab exeunte secundo p. Ch. saeculo.

C. enim et L. Caesares plerumque equis inhaerentes signantur — ut videmus apud Cohen I, p. 52, N. 88 — nonnumquam stantes quidem, sed insignibus exornati, quae ab equitibus acceperant — parmis atque hastis (Cohen I, p. 52, N. 86); quae praeterea conspiciuntur res, simpulum et scipio, ad sacerdotia pertinent, quibus eodem tempore fungebantur.

Neronis principis iuv. equitantis etsi non superstites sunt nummi, tamen titulum quodam modo ad ordinem equestrem spectare vel eo declaratur quod saepe eum in parma inscriptum legimus post quam hasta prominet, Cohen I, p. 179, N. 9, 10, p. 178, N. 1.

Nec desunt Titi et Domitiani nummis indicia tituli ut equestris. Saepissime equitantes et hastas tenentes spectantur (Cohen I, p. 293, N. 185—187, p. 314, N. 369, 370; p. 327, N. 471, 472).

Domitianus solus eodem modo signatus est; at is non hastam sed scipionem manu tenet (Cohen I, p. 435, N. 396—400).

Sed ceterae figurae et res quas in eius nummis principis iuv. titulo inscriptis vides minime ad hunc revocandae sunt; ut habemus in parte aversa:

*Spem* flores manu dextra habentem I, p. 411, N. 203, 204.

*Vestam* sedentem et palladium et hastam ferentem I, p. 411, N. 205.

*Salutem* quae serpenti cibum praebet I, p. 412, N. 211—213.

*Pacem* sedentem cuius ad pedes figura quaedam supplex iacet I, p. 412, N. 219.

*Minervam* parma et pilo ornatam I, p. 412, N. 220.

Ex magna aliarum rerum copia paucas affero, ut *ara* floribus cincta et incensa invenitur I, p. 412, N. 214;

*Solium* super quod galea tollitur I, p. 412, N. 216, 217.

Non multo posteaquam auctore Hadriano ad cognomen Caesaris ea quae propria in titulo principis iuventutis infuerat vis translata est, nummorum ora alios tamquam vultus praebent quos si oculis cernas omnis memoria tituli ad equites pertinentis evanescat.

Stantem enim semper principem iuventutis conspicimus et paludatum et manu maxime varia insignia tenentem:

ut sceptrum et hastam saepissime, Cohen III, p. 436, N. 527; IV, p. 254, N. 23;

globum et hastam IV, 220, N. 28—33, 64; IV, 254, N. 47, 51; V, 557, N. 36, 37; p. 579, N. 208; VI, 198, N. 87; p. 218, N. 29; p. 252, N. 47;

solam hastam III, 294, N. 54—58, 111—113;

ramum et hastam III, 467, N. 76—78;

sceptrum et ramum V, 332, N. 4;

insignia militaria III, 507, N. 2—4, 8—10, 15—17; IV, 105, N. 6; V, 613, N. 149; VI, 4, N. 14. 15; p. 105, N. 425—430.

Saepius etiam *Apollo* haec insignia ferens exhibetur IV, 254, N. 13, 18—22;

vel Mercurius VI, 198, N. 89;

vel milites succedentes aut praecedentes principi iuvent. hastas ferentes repraesentantur IV, 220, N. 35, 52, 53;

denique captivi ad pedes principis iuv. sedentes inter tropaea IV, 220, N. 34; VI, 105, N. 432.

# INDICES.

## Index (A).

### Caesarum

quos titulo principis iuventutis ornatos fuisse sive ex veterum scriptorum locis sive ex inscriptionibus et nummis demonstratur.

I. p. C. Saec.

**I. Gaius Caesar,** natus . . . . . . a. u. c. 734
ab Augusto adoptatus 737
titulo ornatus . . . . 748
virili toga vestitus . 749
consul . . . . . . 754
mortuus . . . . . . 757.

Mon. Ancyr. III, 1—6. Tacit. Ann. I, 3. Zonar. X, 35.

**1.** C. I. L. II, 3828. Sagunti.

CCAESARI·AVGVSTI·F
PONTIF·COS·DESIGN
PRINCIPI·IVENTVTIS a. 748—753.

**2.** C. I. L. VI, 1. 897. Romae.

C·CAESARI·AVGVSTI·F
PONTIFICI·COS a. 748—753.
DESIGNATO
PRINCIPI·IVVENTVTIS

**3.** C. I. L. V, 2. 6835. Aostae.

c. CAESARI · AVGVSTi f
pRINCIPI · IVVENTVTis 748—753.
pONTIFICI·COS·DESIG
D · D

**4.** C. I. R. N. 5437. Sulmone.

C·CAESARI·AVGVSTI f
POnT · COS · PRInCIPI
IVENTVTIS

**5.** C. I. R. N. 1873. Abellini.

C · CAESARI · A ug f
DIVI·NEPOTI·PONt ifici
COS
PRINCIPI·IVVENTVTI s

**6.** C. I. L. II, 607. Metellini (Lusitania).

c·CAESARi · AVG · F · PONT · COS 754—757.
PRINCIPI·IVVENTVTIS

**7.** C. I. L. VI, 3748. Romae.

c. cAESARI AVgusti f
PRINCIPI Iuuentut
PONT·IFICi cos.
senATVS ET populus
C·PR . . . . . .

**8.** Helvet. Inschr. No. 12 (Mitteil. d. antiq. Ges. in Zürich X).

c. caesaRI · AVGVSTI · F
d i v I · N E P O T i
princiPI · IVENTVTI s
pontifiCI · COS · Im p

**9.** C. I. L. II, 3267. Castulone (Hisp. Tarracon.).

c. caesari
augusti f. divi n.
pontifici
~~PRINCIPI~~
IVENTVTIS·COS p. C. 3.
IMP

**10.** C. I. L. VI, 884. Romae.

**OSSA**
C·CAESARIS·AVGVSTI·F
PRINCIPIS · IVVENTVTIS

**II. Lucius Caesar,**

| | |
|---|---|
| natus . . . a. u. c. | 737/17 p. C. |
| ab Aug. adoptat. . . | 737 |
| titulo ornatus . . . | 751/3 a. C. |
| toga virili vestitus . | 752/2 „ „ |
| mortuus . . . . . | 755/2 p. C. |

Mon. Ancyr. III, 1—6. Tac. Ann. I, 3.
Inscr. Helvet. N. 16.
C. I. L. II, 1063, 2109, 2157.
III, 323.
VI, 898, 900.
C. I. R. N. 6322.
Cohen, I, p. 52, N. 86, 88.

**III. Germanicus Caesar,**

| | |
|---|---|
| natus . . . u. c. | 739/15 a. C. |
| virili toga vest. . | 754/1 „ „ |
| a Tiberio adopt., titulo ornat. | 757/4 p. C. |
| consul . . . . | 765/12 p. C. |
| consul II . . . | 771/18 „ „ |
| mortuus . . . | 772/19 „ „ |

Ovid. ex ponto II, 5, 41. Tac. Ann. II, 83. } cf. supra p. 22.

**IV. Drusus Caesar,** Tib. f.,

| | |
|---|---|
| natus . . | 744/10 a. C. |
| titulo orn. . . | 757/4 p. C. |
| consul . . | 768/15 „ „ |
| mortuus . | 776/23 „ „ |

C. I. L. VI, 912.

**V. Tiberius Caesar,** Drusi f. Tib. n.

| | |
|---|---|
| natus . . . . . . . . . | 23 p. C. ? |
| toga virili vestitus . . ., adoptatus a Gaio principe ., titulo ornatus . . . . . | eodem die 37 p. C. (post mensem Mart.) |
| necatus a Gaio . . . . | 37 p. C. (mense Nov.) |

Cass. Dio 59, 8. Suet. Calig. 15.

**VI. Nero Claudius Caesar.**

| | |
|---|---|
| natus Domitii f. . . . . . . . . | 37 p. C. XVIII. Kl. Jan. |
| adoptatus a Claudio principe . . | 50 p. C. |

| | | |
|---|---|---|
| deductus in forum<br>titulo ornatus cos. des. | eodem die | 51 p. C. |
| princeps factus . . . . . . . . . | | 54 „ „ |
| mortuus . . . . . . . . . . . . | | 68 „ „ |

Tac. Ann. XII, 41. C. I. L. VI, 921 c.
Cohen I, p. 176, N. 4.
p. 178, N. 1; p. 179, N. 9, 10.
p. 183, N. 55; p. 211, N. 4, 5.

## VII. Titus Caesar.

| | |
|---|---|
| natus . . . . . . . . . . . . . . | 41 p. C. |
| toga virili vestitus . . . . . . . . | 55 „ „ |
| titulo ornatus cos. des. appellat. Caes. . | 69 „ „ |
| consors trib. pot. . . . . . . . . . . | 71 „ „ |
| princeps . . . . . . . . . . . . . | 79—81 p. C. |

Cohen I, p. 291, N. 185, 186, 191.
p. 327, N. 471, 472.
VII, p. 360, N. 33.
Eckhel. VI, 350, 351.

## VIII. Domitianus Caesar.

| | |
|---|---|
| natus . . . . . . . . . . . . | 51 p. C. |
| toga virili vestit. et appell. Caes. | 65 „ „ |
| titulo ornatus . . . . . . . . . | 69 „ „ |
| consul suff. . . . . . . . . . . | 71 „ „ |
| princeps . . . . . . . . . . . | 81—96 p. C. |

C. I. L. VI, 932; III, 1. 318.
Wilmanns exempla inscr. latin. 918.

| | |
|---|---|
| Cohen I, p. 435, N. 397 . . . . . . . . . . . . | 73 p. C. |
| N. 398; p. 411, N. 203; VII, 86, N. 38 . . . . . | 74 „ „ |
| I, p. 290, N. 211 . . . . . . . . . . . . . | 76 „ „ |
| I, p. 290, N. 205, 208, 212, 221; VII, p. 86, N. 40 | 77—79 p. C. |
| I, p. 290, N. 214, 216, 220 . . . . . . . .<br>I, p. 435, N. 396; VII, p. 86, N. 39 . . . . . | 80 p. C. |

---

# II. p. C. saec.

## IX. L. Aurelius Commodus.

| | |
|---|---|
| natus (M. Aureli f.) . . . | 161 p. C. |
| Caesar appellatus . . . | 166 „ „ |

toga virili vestit. } eodem die . . 175 p. C.
titulo ornatus }
trib. pot. consors . . . . . . . 176 „ „
princeps . . . . . . . . . . . 180—192 p. C.

Aelius Lamprid. vita Commodi II.
Cohen III, p. 82, N. 206, 208, 209.
p. 132, N. 497; p. 161, N. 700.

---

## III. p. C. saec.

### X. M. Aurelius Ant. Caracalla.

natus . . . . . . 188 p. C.
Caesar appellat. . . 196 „ „
Augustus appellat. . 198 „ „
toga virili vest. . . } 202 „ „
consul . . . . . }
titulo usus primum . 197 „ „

C. I. L. VIII, 10569.
Cohen III, p. 290, N. 400; p. 436, N. 527, 528.

### XI. P. Septimius Geta.

natus . . . . . . 189 p. C.
Caesar appellatus . 198 „ „
Augustus appellatus . 208 „ „

Cohen III, p. 467, N. 76—79, 119, 171, 172, 174, 176.

### XII. M. Opellius Ant. Diadumenianus.

natus . . . . . . 208 p. C.
Caesar appellatus . 217 „ „
Augustus appellatus . 218 „ „

C. I. L. VIII, 4598.
II, 4789.
Cohen III, 506, N. 2—5, 7—10, 14

### XIII. M. Aur. Alexander Sever.

natus . . . . . . . . . . . . . 205 p. C.
Caesar appellatus ab Heliogabalo . 221 „ „
Augustus appellatus necato Heliog. 222 „ „
Cohen IV, p. 57, N. 420.

## XIV. C. Iulius Verus Maximus.

| | | |
|---|---|---|
| Maximini f. natus . | 216 p. C. | |
| Caesar appellatus . | 235 „ „ | (Mart.) |
| Augustus appellatus . | 238 „ „ | |

C. I. L. II, 4870.
III, 3708, 3734.
V, 8076.
VI, 1086.
VIII, 10047, 10075, 10083.
Cohen IV, p. 105, N. 11, 13.

## XV. M. Iulius Philippus.

| | |
|---|---|
| natus . . . . . . | 237 p. C. |
| Caesar appellatus . | 244 „ „ |
| Augustus appellatus | 247 „ „ |

C. I. L. III, 1380, 3049.
V, 2384.
Cohen IV, p. 220, N. 28, 31—35, 64, 70.

## XVI. Q. Messius Decius.

| | |
|---|---|
| natus Deci f. . . . . | ? p. C. |
| Caesar appellatus . | 249 „ „ |
| mortuus . . . . . | 251 „ „ |

C. I. L. II, 3735.
VI, 1101.
Wilmanns 1017.
Cohen IV, p. 254, N. 13, 14—17, 20, 36.
VII, p. 257, N. 1, 3.

## XVII. C. Valens Hostilianus.

| | |
|---|---|
| natus Deci f. II. . . . . . . . . . | ? p. C. |
| Caesar appellatus a patre . . . . | 250 „ „ |
| Augustus appellatus a Trebon. Gallo | 251 „ „ |

C. I. L. II, 3736.
VI, 1102.
Cohen IV, p. 261, N. 18, 20, 23, 42, 47, 49—51.

## XVIII. C. Vibius Volusianus.

| | |
|---|---|
| Galli f. natus . . . | ? |
| Caesar appellatus . . | 251 p. C. |
| Augustus appellatus | 252 „ „ |

Cohen IV, p. 294, N. 54, 111, 112.

## XIX. P. Lic. Corn. Valerianus.

| | |
|---|---|
| Gallieni f. natus . | 242 p. C. |
| Caesar appellatus . | 253 „ „ |
| Augustus appellatus | paulo post. |

C. I. L. III, 4646, 4647, 4652.
Cohen IV, p. 485, N. 40, 41, 43—45, 52—54, 55, 61, 74, 76, 78, 79.
VII, p. 281, N. 5, 6.

## XX. C. Tetricus.

| | |
|---|---|
| Tetrici f. natus . . . . | ? |
| Caesar appellatus . . . . | 267 p. C. |
| utrum etiam Aug. appellatus sit, necne dubitatur. | |

Cohen V, p. 176, N. 36, 37, 38.
VII, p. 320, N. 25.

## XXI. M. Aurelius Carinus.

| | |
|---|---|
| natus Cari f. . . . | 249 p. C. |
| Caesar appellatus . | 282 „ „ |
| Augustus appellatus | 283 „ „ |

C. I. L. II, 4103.
VIII, 10219.
Wilmanns 1051.
Cohen V, p. 346, N. 100, 101, 104, 105, 107, 108, 113.
VII, p. 388, N. 12.

## XXII. M. Aur. Numerianus.

| | |
|---|---|
| Cari f. natus . . . | 254 p. C. |
| Caesar appellatus . | 282 „ „ |
| Augustus appellatus | 283 „ „ |

C. I. R. N. 4924.
Cohen V, p. 332, N. 4; p. 339, N. 56, 57, 59—61.
VII, p. 336, N. 9, 10.

## IV. p. C. Saec.

### XXIII. Fl. Val. Constantius I.

| | | |
|---|---|---|
| natus . . . . . . | 250 p. C. | |
| Caesar appellatus . | 293 „ „ | Kal. Mart. |
| Augustus . . . . . | 305 „ „ | |
| mortuus . . . . . | 306 „ „ | |

C. I. L. III, 223.
Cohen V, p. 553, N. 6; p. 557, N. 35, 38;
p. 579, N. 207, 208.

### XXIV. Galerius Maximianus.

| | |
|---|---|
| natus . . . | ? |
| Caesar app. . | 293 p. C. Kal. Mart. |
| Augustus app. | 305 „ „ |

Cohen V, p. 597, N. 18, 19, 146, 147—149; p. 613, N. 150.

### XXV. Fl. Val. Severus.

| | |
|---|---|
| natus . . . . . . | ? |
| Caesar app. . . . | 305 p. C. |
| Augustus app. . . | 306 „ „ |
| mortuus . . . . . | 307 „ „ |

Cohen V, p. 623, N. 14, 44.

### XXVI. Gal. Val. Maximinus.

| | |
|---|---|
| natus . . . . . . | ? |
| Caesar appell. . . | 305 p. C. |
| Augustus appell. . | 307 „ „ |

Cohen VI, p. 4, N. 12, 133.

### XXVII. Val. Licinius.

| | |
|---|---|
| natus . . . . . ca. | 315 p. C. |
| Caesar appellatus . | 317 „ „ |

Cohen VI, p. 76, N. 5.

### XXVIII. Constantinus.

| | |
|---|---|
| natus . . . . . . | 274 p. C. |
| Caesar app. . . . | 292 „ „ |
| Augustus . . . . . | 306 „ „ |

Cohen VI, p. 105, N. 82, 418, 420.

## XXIX. Fl. Iulius Crispus.

| | | |
|---|---|---|
| natus | . . . . . . | 300 p. C. |
| Caesar | . . . . . . | 317 „ „ |
| mortuus | . . . . . | 326 „ „ |

Cohen VI, p. 188, N. 9, 10, 11, 13; p. 198, N. 90—93, 95.

## XXX. Fl. Delmatius.

| | | |
|---|---|---|
| natus | . . . . . . | ? |
| Caesar | . . . . . . | 335 p. C. |
| mortuus | . . . . . | 337 „ „ |

Cohen VI, p. 209, N. 4.

## XXXI. Fl. Cl. Constantinus II.

| | | |
|---|---|---|
| natus | . . . . . . | 316 p. C. |
| Caesar | . . . . . . | 317 „ „ |
| Augustus | . . . . . | 337 „ „ |

Cohen VI, p. 212, N. 5, 6, 29—35.

## XXXII. Fl. Iul. Constans.

| | | |
|---|---|---|
| natus | . . . . . . | 320 p. C. |
| Caesar | . . . . . . | 333 „ „ |
| Augustus | . . . . . | 337 „ „ |

Cohen VI, p. 252, N. 44—47.

## XXXIII. Fl. Iul. Constantius II.

| | | |
|---|---|---|
| natus | . . . . . . | 317 p. C. |
| Caesar | . . . . . . | 323 „ „ |
| Augustus | . . . . . | 337 „ „ |

Cohen VI, p. 282, N. 35, 95—101; p. 317, N. 251.

## XXXIV. Mag. Decentius.

| | | |
|---|---|---|
| natus | . . . . . . | ? |
| Caesar | . . . . . . | 351 p. C. |
| mortuus | . . . . . | 353 „ „ |

Cohen VI, p. 338, N. 2; p. 340, N. 3.

# Index (B).

## Caesarum Augustorum

sc. eorum qui iam vivo patre Augusti appellati titulo usi sunt.

### III. p. C. Saec.

**I. M. Aurelius Ant. Caracalla.**

Augustus app. . . 198 p. C.
solus princeps . . 212 „ „

C. I. L. VI, 354.
VIII, 884, 2706, 2707, 2550, 4216.

**II. P. Septimius Geta.**

Augustus . . 209 p. C.
necatus . . 212 „ „

C. I. L. VIII, 9035.

**III. M. Opellius Ant. Diadumenianus.**

Augustus . . 218 p. C.
mortuus eodem anno.

C. I. L. III, 5708, 5728, 5736.

**IV. C. Iulius Verus Maximus.**

Augustus . . 238 p. C.
mortuus . . 238 „ „

C. I. L. II, 4757, 4788.
VIII, 10254, 10179.

**V. M. Iulius Philippus.**

Augustus . . 247 p. C.
mortuus . . 249 „ „

C. I. L. VIII, 8323, 10049, 10077.

**VI. Q. Messius Decius (iun.).**

Augustus . . 251 p. C.
mortuus . . 251 „ „

Cohen IV, p. 254, N. 18, 35.

**VII. C. Valens Hostilianus.**

Augustus . . 251 p. C.
mortuus . . 251 „ „

Cohen IV, p. 262.

**VIII. C. Vibius Volusianus.**

Augustus . . 252 p. C.
mortuus . . 254 „ „

Cohen IV, p. 294, N. 57, 58, 113.

**IX. M. Aurelius Carinus.**

Augustus . . 283 p. C.
mortuus . . 284 „ „

C. I. L. II, 4761.
VIII, 5332.
Cohen V, p. 358, N. 96, 103, 106.

**X. M. Aur. Numerianus.**

Augustus . . 283 p. C.
mortuus . . 284 „ „

C. I. L. VIII, 5332.
Cohen V, p. 339, N. 55, 58.

---

# Index (C).

## Augustorum

sc. eorum qui sive patre mortuo demum Augusti nomen acceperunt sive imperium sibi arripuerunt a nullo successores electi.

### III. p. C. Saec.

**I. M. Aur. Ant. Caracalla.**

Augustus 212—217.

(Orelli 930.)

**II. M. Aurel. Alexander Sev.**

Augustus 222—235.

C. I. L. VIII, 8781.

**III. M. Julius Philippus.**

Augustus 244—249.

Cohen VII, p. 253, N. 4.

**IV. C. Vib. Trebonianus Gallus.**

Augustus 251—254.

Cohen IV, 282, N. 110, 111.

**V. Tetricus.**

Augustus 268—274.

Cohen V, p. 176, N. 96.

**VI. M. Annius Florianus.**

Augustus 276 p. C. tres tantummodo menses regnavit.

Cohen V, p. 216, N. 52, 53.

**VII. L. Domit. Aurelianus.**

Augustus 270—275.

Wilmanns 1039. Orelli 1026.

**VIII. M. Aur. Probus.**

Augustus 276—282.

Cohen V, p. 227, N. 28; p. 277, N. 387.

**IX. M. Aur. Carus.**

Augustus 282—283.

Cohen V, p. 325, N. 67.

**X. Diocletianus.**

Augustus 284—305.

Cohen V, p. 415, N. 296, 297.
VII, p. 347, N. 36.

**XI. Carausius.**

Augustus 286—293.

Cohen V, 507, N. 30.

## IV. p. C. Saec.

**XII. Galerius Maximianus.**

Augustus 305—311.

Cohen V, p. 613, N. 153.

**XIII. Gal. Val. Maximinus.**

Augustus 307—313.

Cohen VI, p. 5, N. 16.

**XIV. Maxentius.**

Augustus 306—312.

Cohen VI, p. 38, N. 84.

**XV. Licinius.**

Augustus 307—324.

Cohen VI, p. 54, N. 23.

**XVI. Constantinus.**

Augustus 306—337.

Cohen VI, p. 94, N. 23, 84, 89, 408, 412—417, 425—430, 432.

**XVII. Constans.**

Augustus 337—350.

Cohen VI, 252, N. 48.

**XVIII. Constantius II.**

Augustus 337—361.

Cohen VI, 293, N. 102.

**XIX. Iulianus.**

Augustus 361—363.

C. I. L. VIII, 1432.

# Vita.

Natus sum Lothar Gottwalt Koch Lipsiae IX. die mensis Iunii anni h. s. LX patre Francisco P. F. matre Mathilda e gente Koch quibus vivis adhuc salvisque gaudeo. Fidei adscriptus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus a vere anni LXX scholam Thomanam rectore Ecksteinio per IX annos frequentavi. Maturitatis testimonium vernali tempore a. LXXIX adeptus per VII semestria Lipsiae studiis philologis et historicis operam navavi ac docuerunt me VV. DD. Arndtius, Curtius, Ecksteinius, Gardthausenus, Heinzius, Langius, Lipsius, Noordenus, Ribbeckius, Schreiberus, Voigtius, Zarnckius. Seminarii regii historici sodalis fui per IV semestria et interfui proseminario regio per III, paedagogico Ecksteinii per III semestria; praeterea societati philologae Ribbeckii, antiquariae Langii et Lipsii. Quibus omnibus hominibus doctissimis gratias ago quam maximas imprimis Ecksteinio et Gardthauseno qui optime de me meriti sunt.